



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Solvuntur objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

uterum clausus, ubi certissimum est tot objecta sensibilia quorum species reciperet in promptu non habuisse? Nec fuerunt tunc illi species istae infusae a Deo, ut docet S. Thomas infra quæst. 9. art. 4. Ergo Christus non potuit in primo conceptionis momento actus omnium virtutum moralium elicere.

92. Nec valet si dicas, quod licet Christus hoc non potuerit connaturaliter, & de potentia ordinaria, bene tamen miraculose & supernaturaliter, ac de potentia absoluta. Non valet, inquam, Tum quia nullum adest fundamentum astringendi hoc miraculum. Tum etiam, quia ideo Adversarii volunt Christum actus omnium virtutum moralium in primo conceptionis momento elicuisse, ut defendant virtutes morales per se acquiribiles, fuisse à Christo ab initio conceptionis connaturaliter habitas: Sed ad connaturalem illarum acquisitionem, miraculosa actuum elicentia non conducit: Ergo &c.

§. II.

Solvuntur objectiones.

93. **O**bjicies primò: Scientiæ acquisite seu naturales non fuerunt per accidens infusae Christo, sed propriis actibus eas acquisivit, ut docet S. Thomas, infra quæst. 12. art. 2. Ergo similiter debuit propriis actibus acquirere virtutes morales naturales, & per se acquiribiles, non verò eas per infusionem à Deo immediatè recipere.

94. Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem, ob duplicem rationem discriminis, quæ inter scientias & virtutes acquiras seu naturales reperitur. Prima est, quia scientiæ naturales non reddunt subiectum bonum simpliciter, sed tantum secundum quid, ac proinde ex illarum carentia non constituitur non bonum simpliciter in aliquo ordine; ex quo ulterius fit, non plus derogari perfectioni Christi per carentiam scientiarum naturalium ad tempus, quam ei accrescat ex connaturali illarum acquisitione; cuius oppositum in virtutibus acquiras contingit, ut ex supra dictis constat.

Secunda ratio discriminis est, quia si scientiæ per se acquiribiles fuissent humanitati Christi per accidens infusae à primo instanti suæ conceptionis, intellectus agens animæ Christi perpetuò mansisset privatus suo proprio munere & officio, quod est abstrahere species intelligibiles à sensibilibus, illustrando phantasmata, ut docent Philosophi in libris de Anima: erat autem magnum inconveniens, quod aliqua potentia maneret in anima Christi perpetuò privata actu proprio & sibi connaturali. Ex hoc verò quod Christus receperit per infusionem omnes virtutes morales à primo instanti suæ conceptionis, non sequitur synderesim, vel aliam potentiam animæ Christi, fuisse in eo otiosam, & perpetuò privatam suo proprio munere: quia potentia animæ Christi, virtutibus illis semel informatæ, actus ejusdem speciei circa materias virtutum moralium produxerunt, quos per virtutes morales à se comparatas elicissent.

95. Dices, Voluntas humanitatis Christi habet vim naturalem acquisitivam virtutum: Sed si virtutes omnes habuisset ab initio infusas, redderetur ista potentia frustranea, cum nunquam reduceretur in actum acquirendi virtutes: Ergo sequeretur idem inconveniens, ac si omnes scien-

tia naturales per accidens illi fuissent infusae. Respondeo distinguendo Majorem: Voluntas humanitatis Christi habet vim naturalem acquisitivam virtutem, per se primo ad talem actum ordinatam, & per actum distinctum ab actu virtuoso & honesto, nego Majorem, Non per se primo ordinatam, & per actum indistinctum concedo Majorem, & concessa Minori, nego Consequentiam. Non inconveniens in infusione specierum, seu scientiarum naturalium, consistit in eo quod intellectus agens, cuius actus actus quatus, & ad quem primario ordinatur, est specierum abstractio, à tali actu perpetuò suspendi maneret: in parte autem appetitiva non daretur potentia quæ per se primo ordinetur ad acquisitionem virtutum, sed eadem voluntatis potentia est volitiva primario, & ex vi actuum volendi, est secundario acquisitiva virtutum, si in subiecto non præexistant: unde ex eo quod in actum virtutum acquisitionem nunquam promittat, non sequitur potentiam aliquam appetitivam, actu sibi adequatam, & ad quem primario ordinatur, perpetuò privatam existere, sed tantum aliquo sui ad us exercitio secundario.

Objicies secundò: Perfectius & nobilius est habere virtutes acquiras à se, quam illas habere ab alio: Sed Christo debemus tribuere quod nobilius & perfectius est: Ergo non habuit virtutes morales infusas à Deo, sed à se acquiras. Minor constat, Major verò sic ostenditur, Agere est quid perfectius quam pati: Sed habere virtutes acquiras à se, est agere: habere autem illas ab alio, est passivè comparari ad illas: Ergo perfectius est habere virtutes à se, quam habere illas infusas ab alio.

Respondeo Majorem veram esse, si cetera paria sint, secus autem si paritas non servetur, ut in præsentis contingit, nam habere virtutes comparatas à se, importat carentiam illarum per aliquod tempus, ex quo sequitur, humanitatem Christi fuisse alio tempore non bonam simpliciter bonitate morali ordinis naturalis: quod magis derogat dignitati Christi, quam ei accrescat ex acquisitione virtutum: & ideo melius fuit Christo illas habere infusas ab extrinseco, nunquam illis carendo, quam eas per proprios actus acquirere, cum carentia illarum per aliquod tempus. Solutio est D. Thomæ infra quæst. 1. art. 3. in corp. ubi sic discurret: Habere aliquod donum per se, est nobilius quam habere illud per aliud, semper enim causa quæ est per se, prior est & quæ per aliud.... Quia autem omnis perfectio & nobilitas Christo est attribuenda, consequens est quod ipse per meritum habuerit illud quod alii per meritum habent, nisi sit tale quod ejus carentia magis dignitati Christi & perfectioni præjudicet, quam per meritum accrescat. Unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit: quia cum meritum non sit nisi ejus quod nondum habetur, oportet quod Christus aliquando ista caruisset, quod magis diminuit dignitatem Christi, quam augere meritum.

Dices, Melius fuit Christo gloriâ corporis per aliquod tempus carere, illam obtinendo per meritum, quam illam habere à principio sine proprio merito: Ergo pariter melius esset Christo, virtutes morales propriis actibus acquirere, eis carendo per aliquod tempus, quam illas habere per infusionem à principio conceptionis.

Sed nego consequentiam & paritatem, Christo

ARTICULUS V.

Verum in Christo fuerint dona Spiritus Sancti, & gratia gratis data?

Dico primò: in anima Christi Domini fuerunt omnia Spiritus Sancti dona.

Conclusio est certa de fide, constatque ex illo *Ita 11. Requiescit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientie, & formidinis &c.* Ubi fieri sermonem de Christo secundum humanitatem, est communis Patrum & Scholasticorum consensus; cumque ibi enumerentur quatuor Spiritus Sancti dona pertinentia ad intellectum & tria ad voluntatem omnia Spiritus Sancti dona fuisse in Christo, indubià fide tenendum est.

Ratio etiam id suadet: Primò quia dona Spiritus Sancti consequuntur gratiam & charitatem, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 5. Sed in Christo fuit gratia perfectissima, & per consequens charitas intensissima: Ergo fuerunt in illo perfectissime Spiritus Sancti dona.

Secundò, ut discit idem S. Doctor hic art. 5. Dona Spiritus Sancti sunt perfectiones quædam potentiarum, secundum quod nata sunt moveri à Spiritu Sancto: Sed anima Christi perfecte movebatur à Spiritu Sancto, juxta illud *Lucæ 4. Iesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu in desertum.* Ergo in Christo fuerunt omnia Spiritus Sancti dona.

Tertiò eadem veritas declaratur explicando actus quos habuit in Christo quodlibet donum in particulari, causa enim non potest melius quam ex effectibus ejus manifestari. Donum ergo sapientie ad hoc Christum disponebat, ut facile à Spiritu Sancto moveretur ad ferendum certum judicium de rebus æternis per altissimas causas. Donum verò intellectus id Christo tribuebat, ut recte ac statim penetraret quæ divinitus proponebantur. Donum consilii, ut ejus animus rationem statim inveniret agendorum, & de illis certitudinem haberet. Donum scientiæ, ut secundum rationes inferiores certissime & evidenter de rebus quæ occurrerent judicaret. Donum fortitudinis expellebat ab eo ut viatore mortis & cruciatuum formidinem, ut sic ad exitum perduceret opus redemptionis humanæ, fiduciam illi conferendo de imminentium periculorum evasione. Donum verò pietatis disponebat Christum ut Deum respiceret ac colebat, non quidem tanquam filius adoptivus, ut alii iusti, sed tanquam filius ejus naturalis. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes.

Sed difficultas est, quomodo donum timoris in Christo fuerit, seu quem actum in ipso habuerit: Ratio verò dubitandi est, quia timor propriè acceptus est fuga mali apprehensum & imminentis ac difficile vitabilis, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 41. art. 2. & quæst. 42. art. 3. Sed Christo non fuit imminens malum pœnæ propter culpam propriam, quod est objectum timoris servilis; nec fuit imminens malum culpæ, aut separationis à Deo, quod est objectum timoris casti & filialis, cum non posset de potentia absoluta peccare, nec per consequens propter culpam puniri: Ergo non fuit in eo timor servilis nec castus, subindeque in ipso nullus fuit actus propriam obtinens rationem timoris.

Pro resolutione hujus difficultatis, notandum est

stus enim gloriâ corporis per aliquod tempus A
carere debuit, quia ejus carentia ad finem redemptionis conducebat, & illi concedi debet quod melius & perfectius est, nisi oppositum ad finem redemptionis conducatur: hæc autem ratio in virtutibus acquisitis locum non habet, quia illarum carentia ad redemptionis finem non conducit.

Obijces tertio: Prudentia per se acquisibilis non fuit Christo per accidens infusâ ab initio conceptionis: Sed virtutes naturales sine prudentia esse nequeunt: Ergo non fuere per accidens Christo infusâ à primo instanti conceptionis. Minor est D. Thomæ 1. 2. quæst. 58. art. 4. Major verò probatur. Prudentia dependet à speciebus intelligibilibus rerum singularium, nam ad illam pertinet judicare de actibus singularibus, & constituere medium rationis in illis: Sed anima Christi non habuit à principio species intelligibiles rerum singularium sibi infusâ, sed eas ministerio intellectus agentis successu temporis acquisivit, ut docet S. Thomas infra quæst. 9. art. 4. Ergo non habuit à principio prudentiam sibi infusâ.

Respondet Vazquez hic disp. 42. cap. 2. nu. 5. quod quando dicitur Christum habuisse à primo instanti conceptionis omnes virtutes morales infusâ, excipi debet prudentia naturalis, quæ ob rationem in objectionem adductam, non fuit tunc infusâ Christo per accidens, sed successu temporis oppositis actibus comparata, sicut scientiæ naturæ. Loco tamen illius (inquit) repræsentavit scientia infusâ Christo objecta virtutum moralium, & supplavit vices prudentiæ naturalis, pro illo tempore.

Sed hæc solutio & doctrina stare non potest cum fundamentis suprâstatis: Ideo namque constitutum virtutes naturales morales ab initio conceptionis in humanitate Christi, quia cum habentem illas bonum simpliciter reddant, ex earum carentia redderetur Christi humanitas non bona simpliciter, bonitate morali ordinis naturalis: Sed idem inconveniens sequitur ex negatione prudentiæ naturalis in Christo in primo instanti conceptionis, cum etiam prudentia virtus simpliciter sit, imò & regina virtutum moralium: Ergo ut consequenter loquamur ad nostra principia, prudentia naturalis in anima Christi Domini, ab initio conceptionis, unâ cum aliis virtutibus moralibus ordinis naturalis constituta est. Unde hæc solutio prætèrmittenda.

Ad objectionem respondeo, negando Majorem, ad cuius probationem dicendum est, quod quamvis non fuerint infusâ animæ Christi species scientiarum, seu rerum scibilium per scientias merè speculativas, nihilominus infusâ fuerunt ei per accidens species intelligibiles circa proprias materias virtutum moralium, quæ præsupponuntur & requiruntur ad judicium prudentiale, ut virtus prudentiæ, quæ princeps est inter virtutes morales, statim posset in suum actum prodire, & medium constituere. Unde non est eadem ratio de speciebus intelligibilibus pertinentibus ad intellectum practicum, ac de his quæ pertinent ad intellectum speculativum; primæ enim fuerunt animæ Christi ab initio seu conceptionis per accidens infusâ, non autem secundæ, ut relinqueretur locus ministerio intellectus agentis.

103.

104.

105.

106.

107.

108.